



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 166. Quantum pretium liceat accipere pro re rara & peregrina.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

imperfectam emeris, jam factus es ejus dominus, & quod ei accrescit, tibi cedit, utpote domino, unde pretio sic constituto standum est, licet postea tempore traditionis res multò pluris vel minoris valeret, quia utrimque par fuit periculum lucrandi & perdendi, ita cum communi etiam Spor. n. 32. Potestque videri etiam Castrop. d. 5. p. 13. Item dicta n. 689.

Q. 166. Quantum pretium liceat accipere pro 949
 re rara & peregrina. R. Sot. Med. Led. Salon. Valent. Sa, P. Nav. Baun. & alii cum Spor. t. 6. c. 5. n. 25. dicunt venditorem licitè accipere, quantum potest, quia talia nec legitimum nec vulgare pretium habent, cum enim necessaria non sint usibus humanis, non veniunt in commercium aut taxationem communem, ergo venditor non videtur teneri ea à se abalienare, nisi persolvatur, quod petit, & ita apud Japones pro vilissima re sæpe accipitur pretium magnum. Econtra Cajet. Nav. Mol. Rebell. Less. Salas, Castrop. d. 5. p. 3. Luzo d. 26. n. 47. Burgh. cent. 2. cas. 58. & alii putant non posse accipi nisi pretium, quod prudentis arbitrio spectatis circumstantiis justum censetur, quia in ejusmodi rebus pretium illud censetur justum, quod communiter justum æstimatur, & quod rationabiliter commensuratur valori. Utraque sententia est probabilis, spectatâ tamen ratione videtur secunda esse probabilior.

Q. 167. Si quis sciat in agro esse thesaurum vel 942
 venam auream, an licitè emat agrum communi pretio. R. Utrumque absolutè negant Vasq. Turr. & alii cum Dian. p. 9. t. 5. R. 17. Rationem dant 1. quia non est æqualitas inter pretium & rem emptam. 2. Quia alioquin etiam posses ignare